

Johannes Conradus Reben David Horn

## **Disputatio Philosophica De Iuramento Promissorio**

Rostochi[i]: Richelius, 1677

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730608514>**

Druck Freier  Zugang



J

Inves: Reherm Joh. bauradius  
Resp.: Hom. David  
R. M. phil. 16<sup>1/2</sup>



378

17

Σύν Θεσ.

Disputatio Philosophica

DE

# JURAMENTO PROMISSORIO,

Quam

*Permissu Amplissimi & Spectatissimi  
Senatus Philosophici,*

In

Illustri Rosarum Academia  
Publicæ Eruditorum disquisitioni subjiciunt

PRÆSES

M. JOHANNES CONRADUS

*Reben /*

Palæogæo Bremensis,

Et

RESPONDENS

DAVID *Gorn /*

Stralsundensis.

In Auditorio Majori

*Ad diem Septembris*

Anno M DC LXXVII.

⦿:⦿:⦿

Rostochi Literis RICHELIANIS.

17

JURAMENTO  
PROMISSORIO

M. JOHANNES CONRADUS

DAVID



## Q. D. B. V.

S. I.



Pud omnes gentes ductu luminis naturæ ad fidem firmandam in civilis societatis utilitatē jurisjurandi religio recepta est. Fides enim Reipublicæ fulcrum est, quæ vacillante omnes contractus, commercia, omnem civilem justitiam, & hominum inter se societatem & communionem simul labascere necesse est, uti recēdit *Ant. Masbia vell. lib. 3. de pol. Theor. 21. p. m. 378.* Sicut autem pharmacum propter sanitatem repertum est, nec ullus esset ejus usus, nisi essent humana corpora morbis obnoxia: ita quoque quia gens humana ignorantia & perfidia heu nimis obnoxia est, ad fidem inter homines stabiliendam Juramentum introductum est. Status innocentia si perdurasset, nunquam concessum fuisset hominibus jurare, eo quod nulla tunc fuisset jurandi necessitas. *Thomas Hobbes in elem. Phil. de Civ. c. 2 §. 20.* Jusjurandum ideo introductum esse ait, ut major metus violanda fidei, quam is, quo homines (quos facta nostra latere possunt) timemus, divina potentia consideratione atque religione incuteretur; & *Cicero Offic. 1* nullum, inquit, vinculum ad stringendam fidem majores nostri jure jurando arctius esse voluerunt. Hinc quoque perjurium ipso Atheismo detestabilius est, quia non tanta est eorum, qui Deos omnes averfantur, impietas, quanta eorum, qui et esse Deos, & rebus humanis prospicere consentunt, juris tamen jurandi simulatione Numen irridere non dubitant.

A 2

Vid.

*Vid. Bodinus lib. 5. de Rep. c. ult. At vero divina perjurii pœna est exitium, humana dedecus. Cic. lib. 2. de Leg. Memorabile temerè jurantis at severissimè ob hoc puniti Aulici exemplum, quod suo tempore contigerat, refert Camerarius Cent. 1. Horar. subeis. c. 26. Ita autem ille: Quum quidam accusatus esset de nonnullis injurijs verbis temerè profulis, is strenuè inficiatur, & ut accusationem illam confictam esse demonstraret, caput suum diris devovet. Inter alia enim dixit, si ejusmodi injuriosa verba protulisset, se petere à Deo, ut mox signum iræ suæ in corpus suum ederet, sin Deus hoc differret, contestatus est Diabolum, ut ipse hoc faceret. Vix absolutis his & alijs diris imprecationibus, subito pronus corruit, & epileptico morbo, quem antea nunquam senserat, tam acriter correptus est, ut veluti semimortuus cum horrendo ululatu ex oculis adstantium & obstupescientium in cust odiam asportatus sit.*

§. 2. Juramenti definitionē varii variè (ut fieri solet) Autores expressere, pro suo quisq; ingenio. *Aristoteles lib. 2. Rhet. ait: Ὁρκὸν εἶναι μὲν θεῶν παραλήψεως φάσιν ἀναμίδουζον: Jusjurandum esse effatum demonstratione carens, cum assumptione quadam divina. Eusebicus à S. Paulo de rebus Moral. Tract. III. disp. 2. §. 11. qu. 6. Juramentum definit, quod sit assumptio divini nominis ad alicujus rei confirmationem. Robertus Sander sonus Theol. Anglus de Jur: Obl. prel. 1. ita: Juramentū est actus religiosus, in quo ad confirmandam rem dubiam DEUS testis invocatur. Brevissima est illa Tullyj, Jusjurandum, in quientia lib. 3. Offic. est affirmatio religiosa; quod autem affirmatè quasi Deo teste promiseris, id tenendum est. Ubi tamen an rectè dicatur affirmatio disceptari solet, cum etiam negatio religiosa jurisjurandi nomine nuncupari possit. At verò sive super affirmatione, sive super negatione interponas juramentum, utroq; sanè casu affirmas, verum esse id, quod pronuncias; asseris videlicet vel affirmas de re aliquà, illam ita se habere vel non habere, ita præstitum iri vel non iri.*

§. 3. Nos cum *Grotio lib. 2. de J. B. & P. cap. 13. §. 1. ita definimus. Jusjurandum est affirmatio religiosa, quæ fit Deo teste & vindice.*

§. 4. Absit autem ut hancce definitionem pro perfectâ vendi-

venditemus, cùm Juramentum sit ex numero communium *verborum* quæ unâ accurata definitione comprehendi nequeunt, uti eleganter docet *Excellentissimus Dn. Valentinus Belthemi* *Moralium Professor Publ. Ord. celebratissimus, Dn. Præceptor atq; Hospes meus olim in Academia Salanâ colendissimus in Introd. suâ ad illustre Hugonû Grotiide J. B. & P. opus lib. 2. cap. 13.*

§. 5. Præsentis nostri instituti ratio non fert, omnes juramenti species pertractare; sed de promissorio tantum hac vice aucturi sumus. Variæ quidē aliæ extant apud Moralistas & Jure Consultos pro diverso respectu juramentorū vel divisiones vel distinctiones. Dividitur in judiciale & extra judiciale; alias in publicum & privatum: in simplex & solenne: in nudum & execratoriū: in absolutum & conditionale; & aliâs aliter. Sed nobilissima omnium, nec ulli eorum, qui de juramenti scripsere, facile prætermissa ea est, quæ distinguitur in assertorium & promissorium. Illud est affirmatio religiosa præteriti vel præsentis, Deo teste & vindice facta. Hoc est affirmatio religiosa futuri, Deo teste & vindice facta. Assertorii usus præcipuus est in judiciis, ad lites terminandas, maximè in Quæstione facti, & iterum distingui solet in purgatorium & testificatorium. Promissorii exiguus usus est in judiciis; sed in promissis, pactionibus plurimus. *Vid. Johannes de Rada in contr. Theol. inter Thomam & Scotum part. 3. contr. 17. art. 1. Scotus in 3. dist. 39. artic. 3. Henricus in instit. Theol. c. 12. quæst. 20, 21, 22. Lambertus Danaus in Erb. Christi. lib. 2. c. 9.*

§. 6. Advertendum tamen hic probè est, quod juramentum de futuro sit latius patens quàm juramentum promissorium, cum etiam juramentum comminatorium sit assertio de futuro, quæ fuit illud Davidis de perdendo Nabale temerarium juramentum *lib. 1. Sam. c. 25. v. 22.* & impium illud quorundam Judæorum, quod devoverunt se nihil gusturos, donec occidissent Paulum. *Act. 23. v. 12.* Hæc & alia non sunt propriè *promissiones*; quæ vox potius rem alteri gratam significare videtur, nisi per catachresin *promissionis* nomen ad *comminationes* extendere velis.

§. 7. Dicitur in definitione, quod Juramentum sit affirmatio religiosa. Uno ore Scholastici juramentum vocant actum *cal-*



*in Latria*, id est, cultus sacri soli Deo debiti. Constat hoc ex consensu omnium populorum, apud quos sanctissima semper est habitata juramenti religio; usque adeo, ut ipsa *Sanctitas, Religio*, aliisque his cognata vocabula apud rerum gentilium scriptores vix ullam aliam in re frequentius usurpata occurrant, quam in hac materia, & cum plurima ipsis alia sacra haberentur, peculiari tamen jure jurando soli *Sacramenti* nomen remanet. *Vid. Covarr. part. 1. Relic. Quamvis pact. & Vegetius lib. 1. de re milit.* scribit: quia milites jurare solent, militiæ sacramenta dicuntur. Secundò ex evidentissima ratione: quia juramentum tendit in honorem Dei per agnitionem veritatis, scientiæ, justitiæ & potentiæ divini. Licet enim juramentum indebitè susceptum *ex parte jurantis* contemptum Dei prodatur, ipse tamen jurandi actus *ex natura sua* divini Nominis reverentiam includit. Quum enim omne Juramentum adhibeatur ad id confirmandum, quod à jurante dicitur, & fieri debeat omnis confirmatio per aliquod certius & majoris authoritatis. *ἀρθωνι γὰρ καὶ τὸ μαρτυρῆσαι ὁμολογῆσαι, Heb. 6. v. 16.* qui jurat, ipso facto agnoscit Deum se superiorem, summæ authoritatis testem, *καρδιοζυγῆσαι*, omnisque perjurii ac falsitatis justissimum & potentissimum judicem & vindicem. *Vid. Lamb. Danaus in Eth. Cbr. lib. 2. c. 9.*

§. 8. *Causa efficiens Jurisjurandi Promissorii* est is, qui jurato promittit. Nemo autem jurat, nisi sciens & liber id agat. Sicut verò ex Metaphysicis constat, ad omnem causam efficientem requiri rationem causandi, ut vocant, hoc est, aptitudinem, quæ aliquid aptum sit ad hoc, ut fiat vel sit causa efficiens: ita quoque in jurante talis datur aptitudo, quæ nihil aliud est quam libertas; nemo namque potest jurato promittere, nisi præditus sit libertate, cum physica, tum morali. *Physicâ*: quia implicat contradictionem, dari juramentum merè violentum. *Morali*, sive moralitatem spectes internam sive externam, cum sanè sui juris esse debent, qui jurato promittunt. Quemadmodum porrò præter rationem causandi ex parte causæ efficientis requisitam sæpè aliis opus est conditionibus, quæ ad hoc necessariæ sunt, ut causa efficiens suam potentiam possit exercere, quæque vulgò causæ sine quibus non in Scholis vocari solent: ita ex parte causæ efficientis juramenti maxime

ximè necessaria conditio est scientia: nam quia juramentum est actus voluntatis liberæ quæ talis, voluntas verò, ut per experientiam liquet, nunquam fertur in incognitum, neque fieri potest, ut in rem aliquam feratur, nisi præcedente cognitione per intellectum facta, unde perpetuæ necessitatis est, ut cognitio rationalis præcedat. Inde peti potest fundamentum distinctionis inter juramentum perfectum & imperfectum. *Vid. laudatissimus Ds. Valentinus Belsheim in Introd. ad Grotium lib. 2. c. 13.*

§. 9. Ex dictis liquet, juramentum puerorum, antequam pervenerint ad annos discretionis, vel sint doli capaces, ob defectum judicii, nec licitum esse, nec obligare. At quàm primùm juramentivim & religionem, perjuriiq; gravitatem intelligunt, juramentum prælitum obligat, nisi aliunde impediatur: quia actus jurandi processit ab animo judicandi facultate aliquatenus prædito. Quando autem puer ratione uti incipiat, si ad statum naturalem respiciamus, certò definiri nequit, cum non minor animorum quàm fructuum sit varietas. Et ut fruticem aut herbam crevisse sentis, non crescere, ita & judiciorum profectus, quoniam minutis constat auctibus, ex intervallo sentitur. Idem de amentibus & furiosis dicendum, quibus familiare vitium est exorcimpuro juramenta importunè eructare. Tres alias juxta *Jer. c. 4.* referuntur juramenti comites: *Veritas, judicium, justitia.* Deficiente enim veritate, dicitur juramentum falsum, deficiente justitia iniquum, deficiente judicio temerarium, ait *Job. de Rada lib. 3. contr. 17. art. 1. confer Thomam 2. 2. quæst. 89. art. 3. Covarruv. Part. 1. Rel. c. Quamvis de pact.*

§. 10. Huc spectat quæstio: Num juramentum incautum, id est, sine debita consideratione prolatum an verum sit, quod juratur, quodammodo in foro conscientiæ perjurii nomine censerì possit? Maximè hac de re inter se disceptant *Vazquez. 1. 2. disp. 127. c. 3. Gregorius de Valentia tom. 3. disp. 6. qu. 7. punct. 3. Luisius Tarvilanus 2. 2. Disp. 58. dub. 2. Laymannus Moral. Theol. 4. 17. 3. c. 14. n. 4. Bonaventura, Angelus, Cajetanus, Sylvester, Navarrus, Scotus, Sanchez lib. 3. c. 4. num. 14. Job. de Rada lib. 3. contr. 17. art. 3. Suarez lib. 3. de juram. c. 5.* Nos ejus modi juramentum referimus ad juramenta impero

imperfecta, quo etiam juramenta ex ebrietate vel irâ pro facta pertinere videntur.

§. 11. Ad præsens etiam spectat quæstio, cum quis honoris aut *urbanitatis gratia* (uti *Casus* loquuntur) temerè jurat in re fortassis levi. E. gr. si quis cum altero contendens, & honoris quasi prærogativam ei deferens, ut sæpè fit, juraret, se non exiturum domo, non bibiturum, nisi ille alter præverit. Imò cum sæpissimè fiat, ut sic contententium uterq; idem juret, si ejusmodi juramenta essent obligatoria, necesse esset è duobus alterum pejerare, quia necesse est, alterutrum id facere, quod uterq; juravit se non facturum. Resp. Juramentum illud ex sua natura esse obligatorium; obligatio autè illa aut impediri potest, aut tolli, ita ut perjurus non sit, qui secus quam juratum est fecerit. Nimirum ejusmodi juramentum semper cum tacita quadam conditione sive exceptione intelligendum est, hoc sensu, si tibi placuerit, vel si res meo arbitrio permittatur, non ibo nisi tu præveris. Quia cum tale juramentum processerit ex respectu quodam ad alterius honorem, potest ille alter suo jure cedere, & tunc cessabit obligatio.

§. 12. Alia quæstio est: An quis possit velle jurare, ut tamen salvo jure naturæ simul velit, ne obligetur? *Affirmativam* defendunt *Scotus in 3. dist. 39. q. unica artic. 3. Bonaventura quæst. 2. artic. 1. Richardus art. 2. q. 2. Gabriel. q. 2. art. 1.* Ast sanior est *Cajetani* &, qui hunc sequuntur, *Scholasticorum* sententia negativa: quia obligatio à juramento est inseparabilis, & effectus ejus necessarius. Jam verò nemo positus rerum naturis, earum necessarios & formales effectus potest impedire, quia hoc involvit contradictionem. Annon summæ stultitiæ & nequitiæ indicium esset, si quis dedisset chirographum, profiteretur tamen se nullam habuisse intentionem semet obligandi? Intendens causam, intendere præsumitur & ejus causæ necessarium effectum.

§. 13. De juramento ejus, qui non est sui juris, sed sub potestate alterius: ut si filius aut pupillus, servus, uxor, subditus, miles, juramentum aliquod præstent sine permissu superiorum; quæritur an & quatenus valeat? Resp. Non licet ei, qui alterius potestati subest, aliquod jurando statuere sine consensu sui superioris,

oris, vel expresso, vel saltem tacito seu presunto. Probatur 1. quia injuriam alteri facit, qui quasi jure suo statuit de iis, quæ sunt juris alieni; nemo autem tenetur, alteri injuriam facere, cum nulla sit rei illicitæ obligatio. 2. Tenetur quisq; ex officio superiori in his, quibus superior est, parere, quam obligationem juramentum tollere nequit.

§. 14. Q. Quid sentiendum, si quis medio juramento se rursum sistendi ex injusto carcere evasit, num, si reditus cum mortis periculo sit conjunctus, ad juramentum servandum teneatur? Negativam defendit Vasquez 1. 2. g. 96. a. 5. disp. 125. c. 5. Affirmativam tuetur Sanchez lib. 3. Moral. c. 11. n. 32. p. 383. Ad argumenta Vasquezii in conflictu datâ occasione respondebimus.

§. 15. Nobilissima quæstio est: num juramentum vi metuq; injusto extortum obliget ad sui observationem? quæ tam inter Reges & Principes, quam Scholasticos agitur; sed ita ut de veritate ejus Delphicum consuluisse Apollinem fas arbitreris. Nos juramentum ejusmodi obligare asserimus, dummodo verba nihil contineant aut ex se illicitum; aut legibus publicis contrarium, aut juri alicujus tertiæ personæ derogativum. Probamus 1. Quia omne verum juramentum verè obligat naturaliter, atqui talis modi juramentum, quo quis latronibus, strictis gladiis mortem minitantibus, certam pecuniæ summam promittit, ut vitam suam redimeret, est verum juramentum. E verè obligat naturaliter. 2. Quocunq; nomen sanctissimi Numinis in vanum assumitur, hujus contrarium naturaliter obligat, quia id simpliciter ac per se turpe, ac juri naturali contrarium est, quod Deum omni modo super omnia colere præcipit. Atqui hoc ipso, si talis modi juramentum non servetur, nomen sanctissimum supremi Numinis in vanum assumitur. E. 3. Quocunq; juramento talis res promissa est, ad quam rem dandam, modo eam secum habuisset is, qui jurato promittit, jure naturæ obligabatur, istud juramentum obligat: cur enim is, qui pecuniæ suæ jus in alium debuit transferre, ut vitam servaret, non teneretur juramento, quo pecuniæ translationem promiserat, ut declinaret vitæ periculum aliter non vitabile. Sanè videtur non posse recusari, quod fuit prudenter electum, quodq;

B

si è duo.

si è duobus alterum ipsi esset jam nunc necessario eligendum, de-  
nuo eligeret. *Vid. Excell. Dn. Valentinus Belthem in Introd. ad Grot.*  
*lib. 2. c. 13. Hobbes de Cive c. 2. §. 17. p. m. 30. Johannes de Rada lib. 3.*  
*contr. 17. art. 2. Scotus in 3. dist. 39. quest. unica. Durand. quest. 2. Ga-*  
*briel qu. 1. art. 2. Soto lib. 8. de just. qu. 1. art. 7. Danæus Esb. Cbrist*  
*lib. 2. c. 9.*

§. 16. Sed assertio hæc habet magni Nominis Adversarios.  
Argumenta eorum, quæ in contrarium adduci solent & possunt,  
paucis dispiciemus. I. Cum quibus nulla nobis est societas, sed  
potius summa distractio, illis fides vel promissum non est servan-  
dum. Atqui cum Piratis & latronibus nulla nobis societas est, sed  
potius summa distractio. E. R. Quod omnino quædã societas nobis  
sit cum latronibus. Licet enim sint communes generis humani ho-  
stes, eo ipso tamen non desinunt esse homines; at homines omnes  
habent communionem juris naturalis, ex quo nascitur, ut promissa  
sint servanda. II. Ubi voluntas non est libera, ita, ut illius determi-  
natio non tam actio dicenda sit quam coactio, ibi nulla sequi potest  
obligatio: quia omnis obligatio oritur ex actu judicii & volunta-  
tis deliberato; Atqui juramentum metu extortum non provenit  
ex voluntate liberâ, quia simpliciter invitum dicendum est, nam is  
qui metu aliquid promittit, istud promittit, quod absolutè & sim-  
pliciter loquendo nunquam sponte suâ suscipere vellet. E. tale  
juramentum nullam poterit inducere obligationem. Resp. Vo-  
luntatem cogi non posse: potest quidem esse coactio ex parte ex-  
terni cujusdam principii, sed ex parte principii proximi, Volunta-  
tis scilicet, nulla coactio esse potest. Juramentum ergò qui facit  
latroni, ut vitam servet, volens facit. Est autem ejusmodi jura-  
mentum ex numero illarum actionum, quas *Aristoteles Moral. Ni-*  
*com. lib. 3. c. 1. & Victorius in comment. ad eundem locum, aliq;* mixtas  
vocant. Hujusmodi autem actiones, quamvis partim spontaneæ,  
partim invitæ esse videantur: tamen si à potiori denominatio fieri  
debeat, omnino magis voluntariæ quàm involuntariæ dicendæ e-  
runt, imò absolutè & simpliciter loquendo sunt voluntariæ, quia  
fiunt cum electione, vult enim qui mavult. Sic qui majoris mali  
metu pecuniam promittit, vellet quidem rem servare, sub condi-  
tione

tione, si periculum non immineret, at absolute & simpliciter hic & nunc vult pecuniam perdere. *Vid. Thom. 1. 2. qv. 6. art. 6. Scotus in 4. dist. 29. qv. unica. Job. de Rada lib. 3. contr. 17. art. 2.* III. Quocunq; juramento promissum est homini, in quo vitium est, ob quod salvo jure naturæ acceptare jurato promissum is non possit, illius obligatio plane expirat; Atqvi juramentum, quod metu injusto à latrone eliciebatur, est tale. E. Majorem celeberrimus DN. Samuel Pufendorf in lib. de J. N. & G. lib. 4. c. 2. §. 8. & lib. 3. c. 6. §. 10. probat: Quia obligatio semper refertur ad alium, cui quid est præstandum; adeoq; illi respondeat in altero jus, cujus vi exigere queat obligationis impletionem: non sufficit ad eandem generandam, ut in uno sint principia obligationem producentia, sed in altero quoqve requiruntur principia ad jus quærendum idonea. Citra jus quippe obligationi respondens, nulla intelligi potest obligatio. Et nihil debeo, si nemo jure me poscere quid potest. Absurdum autem videtur, per injuriam, id est factò legi naturali contrariam produci aliquid, cui ipsa lex naturalis firmitatem communicet, utq; adeo ipsa ad sui destructionem inserviat. Sanè quæ furtum prohibet lex, inter justos adquirendi modos furtum referre nequit. Igitur per compensationem velut tolli obligatio intelligitur, si non solvitur id, quod statim restitui debebat. Sicut enim fides juramento mihi adstricta à me tibi ita remitti potest, ut nullatenus, ne Deo quidem ad promissa implenda amplius tenearis; juri enim meo renuncio, quod cuiq; placet: ita quoqve perinde est, utrum relaxatio juramenti voluntariè fiat, vel ex necessitate juris. *Vid. Henniges in Obs. pol. & Mor. ad Hugonis Grotij de J. B. & P. lib. 2. c. 13. §. 12.* Minor liquet: Nam salvo naturæ jure latro nequit accipere id, quod is, qui in tali casu jurato promissit, eidem dare vult, imò naturaliter obligatur iste promissarius, qui injustum metum intulit, ad liberandum promissorem ab istiusmodi promissione, quæ ex tali metu secuta est. Stolidum itaq; foret, sponte, quod ob vim promissum fuit, solvere, ubi jam quis in loca tuta evaserit. Verùm enim verò rationes Clarissimi Viri tantj momenti non sunt, ut nos in contrariam sententiam adducere potuerint. Ad argumentum respondemus negandò majorem ejusq; probationem.

tionem. Etenim ut paulo distinctius rem inquiramus, attendenda est distinctio inter promissum in quantum de ejus obligatione in promissore quæritur, & in quantum quæstio est de jure in promissario, quod scilicet is ex promisso quæsitum habet. Sicut enim quis aliquid alteri promittere potest cum signo sufficiente ad indicandam perseverandi necessitatem, ut talismodi promissio facta obliget quidem promissorē, sed jus proprium alteri, cui nempe promittitur, non det: pari ratione fieri potest, ut juratæ promissionis obligatio sit in eo, qui juravit; nullum verò jus in eo, cui juratum est, ut ita ex tali juramento is ipse, qui juravit, ad servandam fidem cogi jure naturæ ab homine, cui juratum est, non possit. Evenit hoc etiam multis aliis in casibus, e. gr. in debito misericordiæ: nam qui elemosynam non dat egenti, datâ plenâ occasione, hanc misericordiam exercendi, is quidem agit contra id, ad quod obligabatur, non tamen egenus salvo naturæ jure immisericordi manusipuum eripere, aut invitum adigere potest, ut det. Idem de debito gratiæ reponendæ esto judicium. Istud quidem verum est, quod ex ejusmodi juramento, quo homini promissum est, in quo vitium est, ob quod salvo jure naturæ jurato promissum acceptare nequeat, promissarius nullum jus quæsitum habeat: at inde nondum sequitur, id propter in promissore jus esse, vi cuius salvo naturæ jure ab omni promissi sui obligatione se liberum præstare queat. Hoc enim esset à negatione juris promissario quæsitum ad negationem obligationis in promissore argumentari. Unde quoque compensatio hic locum non invenit; sed potius res moraliter ita æstimanda est, ac si is, qui juravit paratam habuisset pecuniam, eademque latro ipsum spoliasset, & cum pecuniâ spoliatâ aufugisset. Ut ut enim hoc negari nequeat, quod latro nullum jus habeat pecuniam jurato promissam acceptandi, imò licet hoc extra dubitationem ponatur, latronem utique naturaliter obstrictum esse ad hoc, ut promissorem à juratâ promissione liberet, hoc tamen pro infortunio is qui juravit, habere tenetur, si latro id, ad quod jure naturæ obligabatur, præstare nolit: cum distinctissima maneat injustè accipere & injustè dare. Si enim fieri potest, ut quis injustè det, nec tamen alter injustè, sed satis justo titulo accipiat, quidni evenire etiam potest, n.

set, ut quis ordine inverso justè det, alter verò injustè accipiat. Exemplum injustè dantis, ut tamen alter justè accipiat, esto prodigus, à quo pauper elemosynam accepit; de prodigo sermo est, qui, posita, alias honestate ex parte obiecti & finis, qualemcumq; liberalitatem excessit. Quid enim impedit, quo minus pauper, ut ut prodigus injustè daret, justè accipere potuisset. IV. Si juramentum per metum iniustum ita extortum, ut ipso ei, qui per talium metum veram causam juratæ promissioni dedit, aliquid promissum sit, naturaliter obligaret, aut obligaret naturaliter, quia ille, cui jurata promissio facta est, jus consecutus fuisset ex tali jure jurando, aut obligaret naturaliter, quia DEO jus quæsitum esset. Neutrum potest dici. E. Consequentia patet. Neutrum dici posse probatur: nam quod promissarium attinet, ille in tali casu jus nullum potuit consequi: si enim jus quæsitum haberet, ipse eo uti posset, quod tamen falsissimum, cum hæc duo simul stare nequeant, nempe, promissario esse jus quæsitum ex promisso, & cum teneri ad liberandum promissorem. Si Deum, qui juratur, spectes, unde constabit DEO probari, ut quis innocens se bonis suis spoliaret, & illa in impium nebulonem conferat, in communem hostem, & sic nullà suâ culpâ ex flagitio alterius damnum incurrat? Nonne sic DEO data fides ancillaretur nequissimis latronû cupiditatibus? Neq; metuendum est, ne Numinis honor minoris deinde sit apud latronem, ejusmodi juramento neglecto, cum is ipso vitæ genere satis ostendat, quanti DEUM faciat. Accidit, quod si quis sit, qui evitando simpliciorum scandalo, & ne videatur nomen DEI, quod inter pericula profuit, in tutum subductus irreverentius habere, pecuniæ promissæ jacturam facere velit, satius utiq; videatur, Deoq; acceptius, eam in pias causas erogare, quàm nebulonis alicujus malitiam eadem alere. Resp. negando, quod neutrum salva veritate dici possit. Nam ut prius admittatur facile, quod promissarius ille jus nullum sibi quæsitum habeat, cum DEO tamen negotium est, cujus sanctissimum nomen non assumendum erat in vanum. Quod in probatione dicebatur, ei, qui juravit, ne utiqvam hac de re constare posse, Deo probari, ut ipse innocens se bonis suis spoliaret, & illa in impium latronem conferat.



Hic (1) responderi potest, quod aliud sit iacturam pecuniæ facere, aliud verò eâ pecuniâ se spoliare. Si enim rectè & ex usu recepto loqui velimus, nunquam certè dici poterit, hanc actionem esse veram spoliationem, quando quis in extremo vitæ periculo non aliter vitabili constitutus pecuniam latroni dat, ut vitam servet. Loquimur de spoliatione ut in moralibus sumitur, non ut idem vocabulum vulgò tritum est. Sæpe enim eandem vocem aliter vulgus accipit, aliter artifices ac sapientes. (2) Responsi loco urgeri potest, quod non jurata promissio latroni facta promissorem in tali casu obliget; quanto igitur majorem efficaciam moralem eadem promissio juramento confirmata habebit. Imò etsi vel maximè ne quicquam constaret, probari DEO, ut vir bonus nudo promisso, cui scilicet nebulo causam dederat, pecuniæ suæ iacturam faciat, constare tamen satis poterat & debebat, probari Deo, ut id faciat vi jurisjurandi, quia DEUS juratus est, qui ad pariendam obligationem sufficit, implicat enim contradictionem, si quis jurasset, nec tamen obligare se voluisset. Unde juramentum violatum minuit Dei honorem, detrahit cultui divino, quem jus naturæ præcipit. Non igitur in gratiam nebulonis hostis, sed unice in supremi Numinis ejusdemq; nominis honorem is, qui juravit, pecuniam pendit. Quod dicebatur, satius Deoq; acceptius videri, si, qui juravit, pecuniam in pias causas eroget, ut evitet simpliciorum scandalum, quam ut nebulonis malitiam eâdem alat: Ad hoc dicimus 1. eum utiq; peccare, qui hâc intentione latroni pecuniam solvit, ut ejus malitiam alat; sed unde hoc probabitur, quod qui in conservationem vitæ pecuniam jurato promisit latroni, & nunc juramentum servat, non possit stare jurejurando, nisi hâc intentione, ut sic latronis malitiam alat? Quid? quod latro perjurio promissoris deterior reddi possit, si nondum eo crudelitatis pervenisset, ut postea nullo pacto, nullo juramento vitæ parceret. 2. Adhuc simplicioribus datur scandalum, ut ut vel maximè is, qui juraverat, pecuniam juratam in pias causas eroget. Cur enim? erogatur in pias causas hanc pecuniam? annon ideo, quia juraverat, quod vellet pecuniæ iacturam facere? sed numne hoc solùm juravit, an verò simul, quod eam pecuniam in latronem vellet conferre?

ferre? Si ergò scandalum dat is, qui juravit, quod velit jacturam pecuniæ facere, nec tamen eam facit, omnino etiam scandalum dabit, qui juravit, quod hanc pecuniam huic dare velit, nunc verò dat alteri, juravit latroni, nunc fingit, ac si jurasset pauperi. An non simpliciores sic majus scandalum accipere poterunt, si audiverint, sic Iudi juramentis posse, ut jurata lingua injuratam mentem geras. Si turpe est pecuniam dare latroni, ut ejus malitiam alas, quantum magis turpe erit pecuniam dare pauperi, ut perjurium expies. Obiter hoc addimus, nonnumquam nobis satis liquere, quid præsidii pro negativâ sententiâ indistinctione inter juramentum, cujus verba non ad hominem sed ad DEUM diriguntur, & inter juramentum cujus verba directò hominem, per reflexionem verò DEUM concernunt, invenire Henniges possit in *obs: pol. & Mor.* ad Grotii lib. 2. c. 13. de J. B. & P. §. 14. quasi scilicet istud juramentum obliget, hoc minimè, si nempe ad hominem directum sit, in quo vitium est, ob quod promissum acceptare nequeat. Non enim à negatione modi ad negationem rei valet consequentia. Videntur quidem esse distincti modi jurandi, quando DEO juro, me velle Titio dare pecuniam, & quando Titio juro, quod ei pecuniam dare velim. At modus non variat rem ipsam. Sive enim DEO sive Titio jurè, me velle Titio centum aureos dare, perinde est, quia utrobique; ejus, quem testor fidei meæ præfulem, divinam potentiam confiteor, eam adjuro, simulque; volo, ut assumptionem nominis sui in vanum severè puniat. Paucis: de hoc judicium fiat, annon utriusque; modi juramentum sit verum juramentum? ubi ergò verum juramentum, ibi vera obligatio.

§. 17. Spectat etiam huc quæstio: Si quis incidens in latrones cogatur, ne ab eis occidatur, juramento silentium promittere, semper nunquam ipsorum latrocina cuiquam revelaturum, aut nomina Magistratui proditurum, utrum teneatur silentium præstare? *Fredericus Balduinus*, teste *Roberto Sanderfsono præl. 4. de Jur. obl.* asserit: difficile esse hoc in genere aliquid statuere, tutius autem sibi videri, si silentium non præstet. Assert tres sententiæ suæ rationes. Primò dicit, juramentum hoc esse de re illicitâ. Sed Resp. hoc dicitur, non probatur. Id si constaret, confecta res esset. Dicit secundò, tale

tale juramentum videri habere speciem quandam collusionis cum latronibus. Resp. Hæc ratio operosam responsionem non meretur. Cur non liceret Viatori, si inciderit in latrones, in aperto vitæ periculo aliquid facere, quod videtur habere cum eis speciem quandam collusionis? Tertio loco adfert, hoc silentio justitiam impediri, improbos in impietate suâ confirmari, alios hæc occasione induci posse in discrimen vitæ. Resp. hanc rationem valere, si ex eorum manibus salvus & injuratus evasisset. Atqui supponimus, ni jurasset, occidendum. Quæro ergò, licuitne ei in tam certo vitæ discrimine jurare silentium, vel non licuit? si non licuit, certò pereundem ei fuit, & quis tum superesset, qui magistratui latrones indicaret? Quæ ex ipsius silentio incommoda sequi objiciuntur, ex ipsius morte, cum mortuis indictum sit perpetuum silentium, eadem essent insecutura. At si licuit jurare, licebit & juramentum observare. Stet ergò, donec contrarium, firmiter rationibus probetur, virum bonum in ejusmodi casu aut non debuisse jurare, quod durum videtur, aut debere, quod juravit, religiosè observare.

§ 18. Materia seu objectum jurisjurandi promissorii est res illa, quæ jurato promittitur. Hæc autem & physicè & moraliter debet esse possibilis. Scilicet ut ex parte causæ efficientis requirebatur sic dicta ratio causandi, ita ea præcipuum quoq; requisitum est ex parte materiæ. Nam uti jurato non promittit, qui non potest promittere: ita nec jurato promittitur aut promitti creditur, quod nequit promitti. Quemadmodum verò ex præcedentibus audivimus, quod non quisq; possit jurato promittere, ita quoq; constat, quod non quodvis queat jurato promitti. Ex: gr. ut amentis aut furiosi nulla est promissio activa: ita adulterii aut homicidii nulla est promissio passiva. Res ergò quæ jurato promittitur, debet esse possibilis.

§ 19. Moralistæ distinguunt inter impossibilitatem physicam & impossibilitatem moralem. Physicè autem impossibile aut simpliciter ac absolutè, aut alteri, aut ex suppositione est impossibile. Simpliciter ac absolutè impossibile est, ex: gr: unum Spiritum finitum generare alium sibi similem, modo, quem vocant, Spirituali; ex

li: ex muscâ facere Diabolum; accidens posse existere extra subje-  
ctum &c. Alteri impossibile dicitur, quod non est in ipso viri-  
bus, ex: gr: homo non potest exhaurire totum mare; non potest  
volare; Irus non potest aureos montes polliceri. Juramentum de  
re utroq; modo impossibili nullum est: quia & iudicio destituitur  
& veritate. Qui enim ultro se ad impossibile, quod tale novit,  
vult adstringere, sine dubio mentis parum compos est. Vult enim  
id facere, quod à se fieri non posse prævidet. *Vid. Clariff. Do. Pu-  
fend. lib. 3 de 7. N. & G. c. 7. §. 2.* Rei igitur impossibilis, in quan-  
tum impossibilis, nulla est obligatio. Ast rei per accidens sive  
ex suppositione impossibilis diversa est ratio, quando enim ex: gr:  
res eo tempore, quo jurata est, fuit possibilis, postea facta impos-  
sibilis, idq; casu fortuito & citra culpam paciscentis, obligatio iu-  
ramenti erit in pendentia, ita ut is, qui ex suppositione juravit, ope-  
ram, quam potest, dare debeat, ut quod juravit, possibile reddat:  
præter summum verò adimplendi conatum ad plura non adstrin-  
gitur. Ubi verò quis est istius supervenientis impossibilitatis cau-  
sa, vel dolo sibi ipsi vires implendi ademit, tantum abest, ut per  
summum conatum perficiendi rem promissam obligatione exol-  
vatur, ut potius propter malitiam malo mulctandus sit, *Vid. Pu-  
fendorsius l. c. §. 4.*

§. 20. Moraliter impossibile est, quod jure minimè licet.  
Ita E. gr. quando dicitur Genes XLIII. 32. Non possunt Ægyptii  
comedere cum Ebræis panem, quia hoc abominatio est ipsis; *non  
possunt* Ægyptii, nihil aliud est, quàm *non licet* ipsis, hinc vulgatus  
interpres hunc locum sic exprimit: Illicitum est Ægyptiis comede-  
re cum Ebræis, & profanum putant ejusmodi convivium, & B.  
Lutherus idem *לחם לא יאכלו* scitissime reddidit: *Sie dürfen nicht.*  
Vid. B. Slevogtii dissertatio egregia de esse possibili. Sunt autem  
res illicitæ varii generis. Nam primò res illicitæ aut sunt *ex sua  
natura* hoc est *naturaliter & intrinsecè illicitæ*, ut furtum, adulterium,  
homicidium &c. aut sunt *illicitæ lege voluntariâ* seu positiva. Secun-  
do res illicitæ aliæ sunt *illicitæ per se*, id est, directè, lege scilicet natu-  
rali aut voluntaria: aliæ *illicitæ per accidens*, quia impediunt majus  
bonum morale. Ut valeat juramentum, oportet sit de re neutro  
modo

C

modo

modo illicita. Hoc sine controversia inquit *Scharrockius de Offic. secundum jus natura c. 12. n. 8.* naturæ est interdictum: ne quid paciscamur directè contra quæcunq; alius placita, si quid ita pactum fuerit, ne ratum habeamus. Quisquis igitur promiserit, se dehinc injuriis daturum operam, ingratum aut fœdistragum fore, sui curam omninò sepositurum, ἀσπορον ἔνας, regulam de vulgari charitate vili habiturum, inutiliter promisit, nec potest se ad exequenda hujusmodi promissa obligare. Scilicet omne illicitum est contra officium: obligatio autem omnis est ad officium. Quapropter circa rem illicitam nulla obligatio contrahi potest. Præterea, quicquid est illicitum, est aliquo modo à DEO prohibitum vel immediatè vel per consequentiam. Prohibitio autem DEI obligat ad non faciendum id, quod prohibitum est, quam obligationem contraria conventio tollere nequit. Optimè *Dn. Zieglerus Jctus in notis ad Hug. Grot. de J. B. S. P. l. 2, c. 13.* Adversus ea, inquit, quæ DEO & Reip. debentur, non valet obligatio, ne jurata quidem, eo quod juramentum non debet esse juris divini impeditivum. *Vid Kromayerus in Theol. positivo polem. art. 13. De lege Thef. 7. p. m. 745. Covarruv. part. 2. Relect. c. Quamvis pact.*

§. 21. Probè autem observandum est, quod aliud sit, juramentum de re illicita, aliud juramentum ob rem illicitam, aliud juramentum illicitum. Omne quidem juramentum de re illicita, & ob rem illicitam est illicitum, sed non contra omne juramentum illicitum est de re illicita & ob rem illicitam. Sic e. gr. juramentum illicitum est, cum res, quæ juratur, ob sui levitatem indigna est viri prudentis deliberatione, nec velhili interest, num feceris vel non, ut: levare festucam de terra, fricare barbam; aut ob parvitatem materiæ non est multum æstimabilis, ut: dare pomum puero; vel adeo certa, ut nullus sit, qui eam de re dubitet: hinc ridiculum & à sobria ratione alienum est, si quis juramento confirmare velit: triangulum habere tres angulos, æquales duobus rectis, aut virtutem esse propter se expetendam, aut Aristotelem fuisse Philosophum, aut si quidam disputator, cui propositio negata incumberet probanda, destitutus argumento juraret eam esse veram. Tale autem juramentum illicitum esse patet: arguit enim sanctæ

sanctæ majestatis divinæ aut nimiam irreverentiam, si (ut ferè sit) ex quodam habitu jurandi, longo usu contracto, imprudenti forte exciderit; aut apertum contemtum, si quis id sciens prudensq; admiserit. Scilicet non est DEUS advocandus testis, nisi ubi dignus vindice nodus inciderit, ubi causa exigit & justa & gravis. Certè vir serius & magnæ autoritatis ad puerilia quæq; se testem produci non sinit; & DEUS cœlitoleret, ut adulationum, nugarum testem ipsum advocet? Vid: *Politicus Sceleratus impugnatus c. 9. p. 105.* Hugo Grot. in *Annot. ad Matth. cap. 5. p. 107.* Johannes de Rada *lib. 3. contr. 17. art. 1.* Obligat autem ejusmodi juramentum illicitum, quia est de re possibili & licita. Non debuit ergò sic jurari; sed ubi juratum est, debet impleri.

§. 22. Quid sit juramentum de re illicita, ex præcedentibus vidimus. Juramentum verò ob rem illicitam vel moraliter impossibilem est, quando quis rem licitam e. gr. decem aureos ob rem illicitam e. gr. ob patrandum adulterium, aut futuro homicidæ ob committendum homicidium, promittit. Et de hoc juramento quæri potest, an & quatenus valeat. Grotius in *l. 2. de J. B. & P. c. 11. §. 9.* statuit promissionis illius efficaciam esse in pendentem, quamdiu nondum perpetratum est crimen; crimine verò perpetrato, jam obligationis vim exeri, quæ ab initio non intrinsecus defuit, sed ab accedente vitio fuit impedita. Et hæc communis ferè *Moralistarum* sententia est. Interim hodiè receptior est apud alios sententia Grotianæ contraria; sed cum pro utraq; sententia longè plurimæ adduci possint rationes, quæ ob suam difficultatem prolixissimo indigent examine, nos temporis rationem habentes in conspectu mentem nostram aperiemus.

§. 23. Forma jurisjurandi est DEI ut Testis & Vindicis invocatio. Hæc duo autem: DEUS sit testis, aut DEUS sit vindex, in idem recidunt. Nam cum superior puniendi jus habens testis advocatur, simul ab eo perfidiæ ultio poscitur: & qui scit omnia ultor est, ideo quia testis. Omne quippe jusjurandum in diras definit, si quis pejeravit. Unde etiam ad juramenti rationem ne quicquam interest, an cum adjectâ execratione juramentum proferatur vel non. Et si enim sint è *Scholasticis*, quibus videtur juramentum

mentum illud, quod fit per simplicem confessionem specie differre ab eo, quod fit per adjunctam insuper execrationem: ea ratione adducti, quod in illo DEUS advocetur solum ut testis: in hoc etiam ut iudex & vindex, si tamen rem attentius consideremus, facile constabit, utrumvis fiat, perinde esse. In omni enim juramento, quocumque modo prolatum sit, sive nudè sive execratoriè, aut expressè, aut saltem implicitè, DEUS & ut testis invocatur & ut iudex, sed illud primariò & per se, hoc secundariò & ex consequenti: execratio enim supponit attestationem, ut quid sibi naturâ prius. Sed plerumque fit, ut omisâ expressâ execratione vel imprecatione contractius juretur, ob honorem & reverentiam majestatis divinæ. *Vid: Cajetanum, Navarrum, Valentiam, Ledesnam, Sayrum, Sanchez in sum. Moral. lib. 3. c. 1. p. 332. num. 7.*

§. 24. Liquet etiam hinc jurare per creaturam absolutè, ultimatiè & terminatiè, ita, ut constituatur in aliqua creatura finis & vis juramenti sine relatione ad DEUM simpliciter illicitum esse: quia exhibetur eo pacto creaturæ reverentia soli DEO debita. Juramentum enim est cultus Patriæ, unde quoque *Aristoteles lib. 2. Rhet. Θῆτα περὶ ἀληθείας* ad juramenti essentiam pertinere docet. Si quis autem relative & transitivè per creaturam juret, ita ut cultus finaliter ad DEUM referatur, & in ipso terminetur, is propriè & formaliter jurat, *Vid: Johan: de Rada lib. 3. Senz. contr. 17. art. 1.* Et hic mos, quo inter jurandum, tacito DEI nomine, solùm creaturæ nominantur, solennis fuit Ethnicis, Judæis & Christianis. Res autem creatæ, quæ in ejusmodi juramento adhibentur, debent habere ex naturâ sui aliquam specialem vel propinquam aptitudinem excitandi cogitationem de DEO, vel in se habere vim quandam execratoriâ. A nonnullis aliâs quatuor adducuntur *κερτιμελα*, ex quibus de qualibet loquendi formula, sitne juramentum vel non, dijudicari solet: Forma sc. verborum, eorundem propria & genuina vis, mos gentis, & intentio ipsius jurantis.

§. 25. Quæri hic potest, quid sentiendum de more veterum, qui eandem ac prope majorem vim juramenti per salutem, caput, vitam Principis, quam per DEUM conceptis tribuerunt? Rectè autem *Dr. Sam. Pufend. in Elem. Jurispr. p. 204.* statuit, id propriè

prie non ideo factum, quod Principibus Numen aliquod inesse putarent, uti *Danaus* putat in *Erb. Christ. lib. 2. c. 9.* aut quod iram eorum sibi fallentibus precarentur; sed quia pleriq; videri volebant, magis Principum salutem, quam propriam curare, adeoq; majori religione ducere, iram Deorum in illorum, quam in proprium caput derivare. Unde patet, non sine ratione gravius quondam punitos, per caput Principis pejerantes, quam per proprium. Nam hac ratione in propriam duntaxat personam perjurii vindictam derivare credebantur, isto autem modo etiam in Principem, cui publica quoq; salus innexa. *Confer Zieglerum in notis suis ad Hug. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 13.* Num verò tale juramentum sit naturaliter licitum? dubitari potest, cum omnino injustum videatur & ridiculum, salutem tertii suis juramenti supponere, cum res exitum habere non possit, neq; innocens propter alterius devotionem aut perjurium puniri.

§. 26. Quæri porrò poterit, num liceat per Diabolum jurare? Resp. negando: quia omnis Diabolorum mentio fit cum contemptu DEI, & diminutione honoris divini: Est enim omnis mendacii parens hostisq; veritatis, hinc qui sic jurat, omnem DEI metum exuit. *Vid. Lamb. Danaus in Erb. Christ. lib. 2. c. 9.*

§. 27. Agitari etiam heic solet quæstio illa: utrum juramentum per idola & falsos Deos præstitum sub pœna perjurii obliget? Optumè respondet *Augustinus Ep. 154.* Qui juravit, per quos non debuit, & contra pollicitam fidem, fecit, bis utiq; peccavit. *Vid. Scholasticorum Patriarcha Per. Lombardus lib. 3. dist. 39. cap. 4.* Objiciunt quidam, non esse hoc juramentum, quia DEUS testis non advocatur, siquidem DEUS falsus non est DEUS, & proinde non obligare. Sed Resp. Etsi Deus falsus sit revera non Deus, est tamen Deus opinione ejus qui jurat: quod sufficit ad inducendam obligationem, & proinde tale juramentum est ex hypothesi juramentum, supposita sc: erronea jurantis conscientia, conscientia autem erronea vim habet obligandi, uti diffusè docet *Corduba lib. 3. quæstionarij q. 4.* Quare si fides per falsum Deum facta violetur, Deus verus in suam injuriam id factum interpretatur, quia scilicet jurans, quanquam sub falsis notis, generali tamen com-



plexione numen divinum intuetur. Nec est, quod dicatur, in tali casu hominem non posse non peccare, cum semper peccet, sive juramentum per falsum Deum præstitum servet, sive istud violet: si enim servat tale juramentum, colit falsum Deum pro vero Deo, quod est contra jus naturæ: si violat jus jurandum, hac intentione violat, ut veri Dei nomine abutatur. Nam responsio est facilis: manet certè peccatum voluntarium ei, ut in tali statu constitutus necessario peccet: est namq; hæc necessitas peccandi ex hypothesi talis, non absoluta, quippe ab hæc miserâ conditione idem se liberare potest, modo errorem deponat, quem sanè & poterat & debebat deponere. *Vid. Excell. Dn. Balthem in laudatissima sua introduçt. ad Hug. Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 13. Grotius, Samuel Pufendorffius lib. 4. c. 2. §. 4. de J. N. & G. Henniges in obs. pol. & Mör. ad Grot. lib. 2. c. 13. §. 12. Johannes de Rada lib. 3. contr. 17 art. 5. de Perjurio, Covarruvias part. 1. Rel. c. Quamvis pact.* Contrarium sentiunt *Armagonius, Seraphinus, Azorius, Ledesma.* Alia autem quaestio est, utrum liceat ab eo jusjurandum exigere, quem scimus juraturum per idola? Nos affirmativam defendemus.

§. 28. Pertinent huc quoq; ritus, qui insolentibus juramenti solent adhiberi. De ritibus Gentilium multi multa scripsere. Sanctissimè jurare credebantur aras Deorum tangentes; Sanctissimum itidem habebatur apud veteres Romanos jusjurandum per Jovem lapidem, ut habet *A. Gellius.* Solebat autem jurans siliem manu tenens hæc verba proloqui: Si sciens fallo, ita me Jupiter bonis omnibus ejiciat, ut ego hunc lapidem; protinus lapidem, quante maximo nisu poterat, longissimo jactu protrudebat; quod qui fecit, *Jovem lapidem jurare* dicebatur, uti meminit *Festus, Plutarchus in Sylla, & Polybius lib. 4. cujus* interpres bis *per lapidem* vertit, pro *Jovem lapidem*: deceptus, uti videtur, à græco exemplari, in quo pro *Δία λίδον* reperit *Δὸ λίδον.* *Vid. Paul. Leopard. 6 emendat. 15. Confer Robertum Sandersonum, Lincolnensem Episcopum, & Covarruv. part. 1. Releçt. c. Quamvis pact.* Apud Veteres Hebræos duo præcipuè ritus in sacris literis memorantur. Quorum alter peculiaris, cujus exemplum habetur *Gen. 24. v. 2.* Ubi *Abraham* ab Oeconomo suo juramentum exigens fidelitatis, de uxore

de uxore filio suo deligenda, jubet, *ut manum femori suo supponat.* Quod idem facere iussit Jacobus jam moriturus filium suum Josephum, *Gen. 47. v. 29.* cum ei curam demandavit sepulturæ. Quem ritum num observarint vel *in signum fidei*, quæ credebant in semen benedictum, de femore Abrahamæ egressurum; vel *in commemorationem fœderis*, quod ante pactum erat cum Abrahamo, cum circumcideretur: sive alia quacumq; de causa, Venerandis nostris Dominis Theologis dijudicandum reliquimus. Alter populo Dei inter jurandum communior erat *elevatio manus dextrae celsius versus.* Quem ritum, sive ex Hebræorum imitatione, ut plurima alia, sive ductu quodam naturæ, quasi DEUM intuentes, plurimæ gentes observarunt. Inter nostros hodiè quidem præmitti solet admonitio de pœna perjurii, & digiti eriguntur, in quibusdam locis duo priores. Alibi duobus illis additur pollex. *Carpz. lib. 3.* & sic conceptis verbis juratur hæc formulâ: *So wahr mir Gott helffe.* Aliquando sacra DEI Evangelia tanguntur, sicut & addi consuevit hæc formula: *Und sein heiliges Evangelium.* In Academicis sceptrâ tanguntur. Tali ratione jam præstitum juramentum dicitur Solenne, item corporale *ein Körperlicher Eyd.* Quia præter verba prolata adhibetur etiam aliquis externus visibilis motus corporalis.

§. 29. De juramento hoc solenni quæri potest: an fortius obliget Simpliciter Agentium argumentum præcipuum est: quia solennitas juramenti aggravat peccatum perjurii, quod probant duplici ratione ex *Thoma 2. 2. q. 97. art. 3.* *Primò ob majorem deliberationem.* Ad hoc enim adhibetur externorum rituum solennitas, ut majorem incutiat interiori menti actus reverentiam, & religionis quasi sensum quendam; ut ita agens majori cum animi attentione & deliberatione versetur circa illum actum: & omne peccatum cœteris paribus eo gravius est, quo fit contra actum voluntatis antecedaneum magis deliberatum. *Secundò propter majus scandalum;* quia quo solennius aliquid fit, eo attentius & à pluribus observatur; & proinde si in eo peccetur, exemplum magis erit & notorium & perniciosum. Hinc quanto plus crescunt solennitates, tanto majus est perjurium, & majus scandalum. Sed Resp.

Quod

Quod solenne juramentum ex se & sua natura non magis obliget, quam simplex. Etsi enim concedatur, solennitatem juramenti aggravare perjurium, illud tamen provenit ex accidenti tantum: quia obligatio juramenti, quatenus juramentum est, exurgit præcisè ex eo, quod DEUS testis & vindex invocatur, id autem non minus in simplici juramento fit, quam in solenni & corporali: quia invocatio fit præcisè per prolationem verborum, quæ eadem est in simplici & solenni, & non per aliquem motum corporalem, aut signum concomitans, in quibus consistit juramenti solennitas.

§ 30. Effectus juramenti promissorii duplex est: internus & externus. Externus est, *Præcidere controversias*, Hinc *Diod. Siculus*: jusjurandum *μεγίστην πῶρ ἀνθρώποις*: & *Dionysius Halicarnassus*: *πελευπία πίστις*: & utroq; elegantius major utroq; *Apostolus Heb. 6. πῶρ ἀνθρώπων πείρα*. Huc ubi ventum est, *Ne plus ultra*: sistat se oportet omnis humana disceptatio & contradictio. Non quod omne, quod juramento confirmatur, sit simpliciter certum, (aliàs enim nulla essent perjuria) sed quod in hac mortalium conditione nulla possit esse major fides humana, quam quæ juramento per invocationem divini nominis confirmata est. Nam sicuti reliquas humanarum scientiarum veritates per sua prima principia Philosophi demonstrant: siquidem autore *Aristotele lib. 1. Phys.* tunc arbitramur scire unamquamq; rem, dum principia prima cognoscimus usq; ad elementa: ita quoq; quia omne humanum testimonium valde infirmum & fallibile est, ex duplici maximè defectu, scientiæ scilicet: cum multa nos lateant; & conscientiæ: cum omnis homo sit mendax, dubia omnia rerum contingentium, quæ aliter constare non possunt, per divinum testimonium, quasi per primum maximumq; veritatis principium meritò confirmamus. *Vid. Vir sui nominis Hugo Grotius in l. 2. c. 13. de J. B. & P. Kromayer in Theol. positivopolem. Art. 13. Tb. 7. p. 743. Lambertus Danæus in Esb. Christ. lib. 2. c. 9. Thomas Aquin. 2. 2. lib. 2. Johannes de Rada lib. 3. controv. 17. De Perjurio art. 1. Covarruv. part. 1. Relect. c. Quamvis part. §. 6. de juramenti comitibus.*

§. 31. Effectus internus est *obligatio jurantis*. Obligatur autem jurans ad duo: *primò*, ut verba animo congruant, quod *Chrysippus*

*ſippus* Magiſter porticus vocat ἀληθρακῆν; ſecundò, ut factum congruat verbis, quod idem appellat εὐρακῆν. Sic qui in illo peccat, Ψευδορακῆν, qui in hoc, ἰπορακῆν eidem *Chryſippo* dicitur ſatis diſtinctè, quanquam confundi interdum hæc ſolent.

§. 32. Dubitari hic ſolet, cum quis cum reſervatione mentali jurat, vel jurans non habet intentionem ſe obligandi in eo ſenſu, quem verba apertè præ ſe ferunt, ſenſum alium quendam ſibi imaginatur, cujus verba ipſa propter alicujus diſtinctionis aut phraſis ambiguitatem poſſunt eſſe aliquo modo capacia. Hiſtoriam narrant *Livius* 3. dec. 2. & alii, de decem Romanis apud Hannibalem captivis, qui certis conditionibus, poſtquam redituros ſe in ipſius caſtra juraverant, ab eo dimiſſi ſunt; quorum unus minimè Romani ingenii homo (inquit ille, alii à duobus id factum narrant) jurisjurandi ſolvendi cauſa commenticio conſilio reſgreſſus, eodem die in hoſtium caſtra, velut aliquid oblitus, ante noctè comites aſſequitur. Quæ ipſius fraudulenta calliditas tam turpis exiſtimata eſt, ut non modò contemptus vulgo diſpretusq; ſit, & à cenſoribus omnium notarum damnis & ignominiiſ affectus; ſed & à Senatu comprehendendus, & iterū ad Hannibalem deducendus judicaretur. Plura exempla vid: apud *AntiMaeb. lib. 3. de Pol. Theorem. 21.* Certum autem eſt, iſto modo jurantem peccare, & tacitè illa æquivocatione & reſtrictione mentali nihil obſtante in conſcientia obligari ad promiſſum faciendum, in eo ſenſu, quem verba ex ſe reddunt, & ſunt apta ingenerare in mente audientium, ni ſic fecerit, perjurio non vacare. Ratio eſt, quia juramentum debet ſimpliciſſimè & cum effectu intelligi, cum qua ſimplicitate pugnat illud quæſitæ ambiguitatis artificium. Eſt enim juramentum à Deo inſtitutum vi luminis naturalis, in remedium defectuum humanorum circa veritatem, ut eſſet tuenda veritatis ultimum inter mortales præſidium, quoties omnia alia probationum genera deficient. Introducta ſunt juramenta, ut licitis ac bonis actionibus inter homines firmitatem addant, non ut ſceleribus ſuccenturientur, inquit *Clariff. Dn. Pufendorffius elem. Jurispr. univerſ. lib. 1. p. 206.* Evertere- tur autem omnino hic finis, ſi liberum eſſet juranti, pro ſuo arbitrio, quod verbis enunciat ad fidem faciendam, id aut tacita al-

D

qv a

qua ambiguitate & reservatione mentali inter jurandum, aut postquam juraverit, exquisto aliquo novo & quasi posthumo commento ita subnervare, ut vim suam omnem amittat, & effectum penitus careat; Horum alterum si liceret, non esset juramentum. *ἀνταρτίας πέρας sed ἀρχή*, non subsidium fidei, sed instrumentum fallendi. Qui autem juramenti finis est, idem debet esse & jurantis: is autem est, ita audienti fidem facere, ut de rei prius dubia veritate certior fiat & securior. Falsum autem dixisse putandus est proximo suo, per quem stetit, ut falsus esset proximus suus eâ spe, quam ex dictis ipsius rationabiliter conceperat. Quo facit illud *Isidori lib. 2. sentent. 22. q. 2.* Quacunq; arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiae testis, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. *Vid: Pet. Lombard. lib. 3. dist. 39. cap. 6.* Præterea illud derogat venerationi divinæ. Deum enim, quantum in se est, impostorem facit, & indignæ simulationis patronum. Optimè Wenceslaus quidam Meroschwa scribit: Totus mundus fūco utitur. Cum vulpibus vulpinandum est. Pueri nucibus, viri juramenti fallendi sunt. Nec infame est, violasse jurisjurandi religionem, fecerunt hoc nostri Principes. Nos cariores habebunt, si non modo pro eis patiamur & belligeremus, sed etiam pejeremus. Dum crepundia vendunt institores, simulant, mentiuntur, pro asse pejerant: & nos id non faceremus pro regnis & arcibus? Faciemus; & quidem libenter. Verùm, addit, quàm id autem Deum non potest non graviter provocare ad poenam, quod ore tam soluto laxoq; adversus ipsius honorem pugnemus! *Conf. Comp. Pol. Nov. illustr. cap. 38. p. m. 493.* Deniq; nullo nodo & modo ejusmodi Vertumnus sic obstrictum tenebis, ut non mutata subinde formâ elabatur, mille adde catenas, effugiet tamen hæc sceleratus vincula Proteus. Contrarium sentiunt communiter *Jesuitæ & Scholastici, Sotus, Navarrus, Valentia, Pererius, Suarez, Lessius, Bannes, Salonius, Azorius, Angelus, Sylvester, Capetanus, Sayrus, Toletus, Pbilarius, Adrianus, Henriquez, Ledesma, Sanchez lib. 3. Sum. Moral. c. 16 p. 353.*

§. 33. Circa extensionem obligationis duo notanda essent: Primum respicit personam jurantis: An & quatenus juramentum obliget

obliget jurantis hæredes & successores? Secundum respicit personam ejus, cui juratur, quem plerique Ciceronem secuti *deferentem* vocant: An qui juravit aliquid alicui facturum, eo defuncto, obligetur id facere hæredi ejus vel successori? Sed cum præter spem materia excrescat, in publico conflictu de iis dispiciemus.

§. 34. Ultimo tandem loco de vinculi hujus sive ligaminis solutione pauca quædam subjungemus. Constat autem omne juramentum ex se & sua natura esse obligatorium. Ita ut si quis juret, non intendens se obligare, imò etiam si juraret, intendens se non obligare, nihilominus tamen suscipiendo juramentum ipso facto obligetur, de quo antea. Nihil dilucidius hanc in rem dici potes, quam quod est à Mose dictum *Num. 30. v. 3.* Cum vir vo-

verit votum vel juraverit juramentum **לִּשְׂבוּעַתְךָ אֶת־עַלְיָ** ligando ligamen super animam suam. Ubi geminatio illa ex Hebræorum idiotismo plurimam habet emphasin, & auget significationem vocis. Quæquam verò omne juramentum tam assertorium quam promissorium obliget, vinculi tamen obligatoriæ solutio peculiaris est juramento promissorio. Omni juramento sive assertorio sive promissorio debet inesse veritas; sed cum hoc discrimine, quod ad juramentum assertorium unica sufficiat veritas de præsentibus, cum in promissorio duplex requiratur, una scilicet de præsentibus, altera de futuro. *Vid: Joban: de Rada lib. 3. contr. 17. art. 5.* Nos solutionem vinculi in juramento promissorio non intelligimus respectu obligationis illius prioris, quæ nascitur ex veritate de præsentibus, & est ei cum juramento assertorio communis; sed solum respectu obligationis posterioris, quæ nascitur ex veritate de futuro, & est ipsi propria & peculiaris.

§. 35. In juramento promissorio neque dispensationem, quæ est vinculi simplex solutio a superiore facta, neque commutationem, quæ est vinculi ab una materia ad alteram translatio, locum habere posse, inde patet; quia obligatio juramenti est de jure naturali, jus autem naturale non subest foro humano, quum DEUS solus sit autor & Dominus naturæ, nec ullo argumento probari potest, Deum ulli homini authoritatem concessisse dispensandi in his, quæ sunt juris

naturalis. Suprema autem obligatio juramenti spectat ad DEUM. De irratione communis error est, quod illa jusjurandum solvi queat, & quod superiorum actus possit efficere, ut jusjurandum ab inferiore præstitum non sit præstandum. Verum cum solutio vinculi supponat antecedentem obligationem; juramentum verò ab inferiore præstitum de iis rebus, in quibus alteri subest, nullam obligationem pariat, & per consequens ne quidem juratum sit, cum omne juramentum sit obligatorium; accuratius rimanti facile adparebit, quod irritatio non possit dici vinculi solutio, neque juramentum, quatenus est obligatorium, irritatione tolli; quia irritatio, uti *Franciscus D' Abra de Raconis in expl. Phil. Mor. Diss. ult. de Virt.* ait, nihil aliud est, quam quo aliquid impeditur, antequam obligare incipiat. Relaxatione autem partis, cui juratum, vinculum istud dissolvi, omni caret dubio; quia quilibet suo jure cedere, vel rem virtute juramenti debitam remittere potest; Debito autem soluto cessat & ipsa obligatio. Tollitur omnis obligatio solutione ejus quod debetur, *lib. 1. Instit. quibus modis toll. obl.* Ad omnem autem juris effectum perinde est, siue promissum realiter impleatur, siue ab eo, cujus interest, pro impleto habeatur. Et hoc ipsum est, quod acceptilationem Venerandi JCTi vocant.

Sed hic subsistimus, non enim cuncta uberius persequi vacat.

Moniti meliora sequemur.



## COROLLARIA.

1. Propria posse communicari omni caret dubio.
2. Inter prædicationes essentielles & accidentales non datur media.
3. A propagatione rei ad existentiam rei non valet consequentia.
4. Aliud est causa moralis, aliud agens morale.

5. Causa-

5. Causalitas causæ moralis consistit in influxu vero & positivo.

6. Nullum malum potest reperiri absq; bono.

7. Intellectus fit res, dum eam intelligit. Optumè id exposuit optumus doctrinarum Aristotelicarum interpres, olim Scholæ Patavinæ Philosophus famigeratissimus *Casus Cremoninus Centensis Tract. de facult. appet. Lect. VII.* Rationem adfert hanc: quia intellectus noster fertur in ipsas res, quatenus illæ res sunt cognoscibiles, & fertur in illas, quatenus ipse est cognoscens. Ut autem adimpleatur cognoscibilitas rerum, & ad actum traducatur, sufficit unica forma, quæ est cognitio & iudicium. Unde quoniam, quæ habent unam formam, sunt unum, ideo cum res actu cognita, prout est actu cognita, & intellectus actu cognoscens, prout est actu cognoscens, habent unam formam, quæ est iudicium & cognitio, propterea dicitur, quod intellectus evadat res ipsæ, & quod res evadant ipse intellectus, sic v. gr. intellectus cognoscendo lapidem fit lapis; non quidem per transmutationem realem, sed notionalem.

8. Jus à justitia, & justitia à jus sine contradictione dicitur.

9. Lex naturæ planè est immutabilis.

10. Nemo sibi ipsi injuriam facere potest.

11. Honor invito eripi nequit.

12. Civitas prior est domo.

13. Perperam à *Gabriele Vaz quezio disp. 24. in 1. 2. c. 17.*

p. 172. intentio indirecta cum interpretativa confunditur.

14. Acquiritur marito imperium in uxorem ex mutuo utriusq; consensu. Eleganter *Hugo Grotius lib. 2. de J. B. & P. c. 5, §. 8.* Consociatio maximè naturalis in con-

D ;

jugio



jugio adparet, sed ob sexus differentiam imperium non est commune, sed maritus uxoris caput, nempe in rebus conjugii. Ipse enim corporis præstantia ingeniiq; dotibus uxorem longè superat, ceu scitè deduxit *Aristoteles 1. Polit. c. 5.* Hinc mirari subeat, in re tam evidenti dicam scribi Aristoteli ejusq; sectatoribus à *Johanne Friderico Hornio, lib. 1. Polit. Architect. c. 1. §. 6.* Perpetratam ille Evæ malitiã pro incunabulis superioritatis maris in faminam habet. Parùm abest hæc sententia à blasphemii *Johannis Baptiste van Helmont* nugis: ille enim garrit, Evam non fuisse adjutricem Adamo datam, ut conjugis nomen vicemq; suppleret; sed ad eum saltim modum, quo Princeps est suis ministris. Stuprasse autem Adamum Evam, ex qua Deus ipse procreare ac propagare humanum genus destinaverat sine concursu viri. Digna sententia, quæ non verbis sed flagris & si quid durius istis refutetur: *Hornij* cornu simul inflat *Henniges in observat. ad Hug. Grot. p. 435.*

15. Stolidissimi sunt, qui ob pulchritudinem vel nobilitatem, vel eruditionem imperium in uxores transferunt, aut cum Socratis fociis rixosæ mulieris imperio se subdunt, ut domi habeant scholam patientiæ. An autem in casu extremæ necessitatis, e. gr. si fœmina suspendii reum à supplicio liberet, ut ei nubat ( qui mos apud *Hispanos & Gallos* quondam obtinuit ) sub conditione imperii in maritum quæsiti, verum jus fœminæ acquiratur, disputari potest.

16. Matri originale dominium in liberos, Patri vero derivativum competere falsò à *Thoma Hobbesio in tract. de Cive c. 9. §. 3. p. 148.* asseritur.

17. Parentes non habent jus vitæ & necis in liberos.

18. In casu necessitatis Pater filium suum vendere potest,

19. Non

19. Non firma satis videtur sequela: Liberi sunt partes parentum. E. parentes nullum in liberos jus habent.

20. In pœnis nulla *προσωπική* sive respectus ad patientem habeatur.

21. In irrogatione pœnarum id non attendi solet, ut in ea corporis parte puniatur homo, quæ præcipuè peccavit, sed sæpè qui manu peccat, capite punitur, & lingua procacitatem non rarò terga luunt. Quæ sic in corpore physico ritè procedunt, ad corpora civilia nonnulli trahunt, colligentes: quoniam Princeps & subditi unum corpus civile, per fictionem, ut loquuntur, constituunt, cujus partes sive membra sunt princeps & subditi, unam partem ob alterius, Principem puta propter subditorum peccata, & hos propter Principis aberrationes puniri posse. Sic equidem in promptu essent verba, quibus declarare possemus, quare principum peccata subditis & vice versa impotentur? An verò quæsitum ex suis justis principiis eruant, dubitatur.

22. Majestas est immediate à DEO.

23. Quæ de *Abas vero Ebrao*, tutore Hierosolymitano narrantur, nugæ sunt aniles, quibus tamen fidem face-re visus fuit *D. Paulus Eizen*, Episcopus quondam Sleswicensis, contestatus, se Hamburgi anno M. D. XLVII. vidisse *Ebraum* nudis pedibus, statura procera, crinibus prolixis, & summa animi devotione Jesu nomen inclamantem, narrantemq; justa serie, quæ fuere gesta tempore passionis ejus & Apostolorum: adferentem etiam, impolitam, sibi hanc per orbem universum errandi pœnam esse, quod ostio suo, ubi quiescere ad crucis supplicium ducendus Christus voluit, acerbis verbis submoverit.

24. Σωτηρ

24. *Σαμπρομαία* s. salutipotatio apud Romanos  
quondam in magno fuit flore & vigore. Bibebant etiam  
tot cyathos, quot literæ in amici vel amicæ erant  
nomine. Inde *Martialis* :


Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur.



On temerè juro, nunc juro, Pagina præsens  
*De juramentis*, nil nisi docta docet.  
Juro etiam, si sic pergit MEUS HORNIUS, illum  
Jure suo tandem pulshra corona beat.

*Paucissimis hisce Præstantissimum Dominum  
HORNIUM Convictorem & Domesticum  
suavissimum, sub Clariss. Dn. M. REBEN  
Commensali suo Optimo, de Juramentis, &  
sic secundùm publicè singulari q̄, cum laude  
disputantem prosequi voluit & debuit*


M. JOHANNES Mangel/  
Gr. Lit. P. P.



Qvam sit Jova potens monstrasti firmiter, Horni;  
Nunc juramenti vincula sancta doces.  
Hem! doctè statuis, defendis & omnia doctè;  
Quid ni, quæ facies, cætera docta forent?

*In honorem amici hac apposuit.*

JOHANN Uhtstim/  
Stralsundensis.







19. Non firma satis videt  
partes parentum. E. parentes n  
bent.

20. In pœnis nulla ~~serua~~  
patientem habeatur.

21. In irrogatione pœnar  
ut in eâ corporis parte puniatur  
cavit, sed sæpè qui manu peccat, c  
procacitatem non rarò terga lue  
re physico ritè procedunt, ad e  
trahunt, colligentes: qvoniã  
corpus civile, per fictionem, ut loc  
jus partes sive membra sunt princ  
tem ob alterius, Principem puta  
cata, & hos propter Principis ab  
Sic eqvidem in promptu essent  
possemus, qvare principum pecca  
imputentur? An verò qvæsitum  
ruant, dubitatur.

22. Majestas est immediat

23. Qvæ de *Abas vero Ebrao*  
no narrantur, nugæ sunt aniles, q  
re visus fuit *D. Paulus Eizen*, Episc  
censis, contestatus, se Hamburgi a  
se *Ebraeum* nudis pedibus, statura  
xis, & summa animi devotione Je  
narrantemq; justa serie, qvæ fue  
nis ejus & Apostolorum: adseren  
sibi hanc per orbem universum er  
ostio suo, ubi qviescere ad cruc  
Christus voluit, acerbis verbis su

Liberi' sunt  
eros jus ha-

respectus ad

ttendi solet,

æcipuè pec-

ar, & lingvæ

fic in corpo-

lia nonnulli

bditi unum

stituunt, cu-

i, unam par-

itorum pec-

uniri posse.

us declarare

& vice versa,

principiis e-

rosolymita-

fidem face-

dam Sleswi-

KLVII. vidif-

nibus proli-

clamantem,

pore passio-

impositam,

n esse, qvòd

m ducendus

24. Σωτηρ

